

Decif. Aurearum Pars II. Lib. I.

fi subtrahatur aliquid, quod est de substantia formæ, siue inuocatio Trinitatis, siue actus exercitus cum persona baptizanda, tollitur sacramentum, & ille, qui baptizat, grauiter peccat. Si uero tollitur id, quod non est de essentia formæ, ut si à forma baptismi tollatur, Ego, uel Amen, uel à forma consecrationis, enim, & tunc non tollitur sacramentum, sed graue peccatum est. Turrecrem. in d. c. si non. uers. tertio modo.

Decima. Circa corruptionem. Hæc decisio ponitur iux. D. Thom. & Pet. de 26 Palude. Corruptio ꝑ uerborum, quæ fit ex industria, & malitiosè, impedit baptismum: quia nõ uidetur intendere quod Ecclesia intendit. Sed illa, quæ fit ex ignorantia, uel defectu linguæ, si tanta est corruptio, quæ aufert sensum locutionis, quod maxime fit, quando contingeret in principio dictionis, ut ab ista dictione, patris, subtrahatur prima littera, uel syllaba, & loco eius apponeretur matris, non esset baptismus: quia sensus omnino mutatur. Si autem sensus locutionis maneat, quod præcipue accidit, quando corruptio esset in fine. Exemplum in d. c. retulerūt, & tunc esset baptismus. Si uero corruptio fieret ex necessitate, ut si puer moreretur, antequam sacerdos periceret uerba formæ: & tunc piè creditur, q̄ summus sacerdos suppleat: Vn de talis si moriatur, in cimiterio sepeliendus est. Si uero superuixerit, ratione dubi credo, quòd sub conditione rebaptizandus est, iux. c. 2. eod. ut. Henric. in d. cap. non ut apponeres.

Vndecima. Circa transpositionem, dic, 27 quòd si transpositio ꝑ fit ex certa malitia, non est baptismus: quia non intendit seruare formam Ecclesiæ. Si uero fit ex simplicitate, & talis transpositio mutaret intellectum uerborum, ut si diceretur, baptizo in nomine te Patris, & Filii, & car. uel si transponerentur syllabæ, ut in nomine trispa, & huiusmodi, tunc non est baptismus. Si uero per transpositionem maneret sententia, est uerus baptismus, ut si diceretur, Ego te baptizo

in Patris, & Filii, & Spiritu sancti nomine. Ita Pet. de baptif. tract. 1. forma baptismi qualis esse debeat. Sic interpositio si est modica, ita quòd secundum usum communem non uidetur actum disconuare, ut interueniat silentium, aut tussis, aut respiratio, aut aliquid huiusmodi, tunc erit baptismus. Sed si disconuatio esset magna, ita quòd actum euidenter discontinuet, tunc nocet: ita Turrecrem. ubi sup. & Henric. in d. cap. non ut apponeres, num. 12.

28 Duodecima. Cum ꝑ nõ solum sit necessarium uerbum, & elementum ad perficiendum baptismum, sed etiam requiratur intentio, idèd apponamus has decisiones, quarum prima est. Intentio baptizantis exigitur ad perficiendum sacramentum baptismi, ut nos supra affirmauimus num. 9. glo. in cap. dedit, quæst. 1. Et non obstat quòd baptismus sit opus Dei, & non hominis, cap. à quodam, cap. si inter, de consecr. dist. 4. ergo in ipso conferendo non exigitur hominis intentio, arg. 1. quæst. 1. c. dedit, in fine. ibi, Ebrius. Hinc Gan. & eius sequaces dicebant, nõ esse necessariam intentionem baptizantis in hoc sacramento, nec in alijs sacramentis necessitatis: Nam in contrarium est ueritas, secundum Hug. & Pet. Lomb. & alios; quia sicut in hoc sacramento, & in alijs sacramentis forma est seruanda, ita intentio ad illud, uel illa celebranda est attendenda, aliud quomodo affinitates spirituales contraherentur nisi intentio baptizantis intercederet? Et quod dicitur quod hoc sacramentum est opus solius Dei: debet intelligi, quòd solus Deus per illud peccata dimittit. Ita Archid. in c. solet, de consecr. dist. 4. Nec etiam obstat d. c. Dedit, de consecr. dist. 4. c. baptismus, in fi. ubi dicitur, quòd Ebrius, uel Ebriosus, potest conferre baptismum, qui non possunt habere intentionem baptizandi: quia responderetur, quòd ibi loquitur non de Ebrio, qui est infcius, & obliuofus, scilicet cum iacet sepultus uino: sed nomine Ebrii ibi intelligitur peccator, scilicet qui laborat uitio tali, quod